

August Varenius

**Augustus Varenius SS. Theol. D. ... Ad Exequias Quas ... Wedig Christophoro  
Vogelsang, Equiti Mekleburgico Anno cllcXLIIIX. d. 4. Maii nato, & cILXII. d. 9.  
Maii. denato Solemni ceremonia d. XXIII. Septembr. In Templo Mariano ...  
Parentes adornabunt Omnia ordinum Cives Academicos ... invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77717488X>

Druck    Freier  Zugang



Müller, H.,

auf W. C. Vogelsang.

Rostock. (1662.)

25.







# AVGVSTUS VARENIUS

SS. Theol. D. Hebraicorum & Cateche-  
seos Christianæ Professor Ordinarius

Universitatis ROSTOCHIENSIS

h. t. RECTOR

AD EXEQUIAS

Quas

*Nobilissimo Adolescenti*

# WEDIG CHRISTO- PHORO VOGELSANG,

Equiti Mekleburgico

ANNO c<sup>lo</sup> Ic XLIX. d. 4. Maij nato, & c<sup>lo</sup> Ic LXII.

d. 9. Maij. denaro

Solemni ceremoniâ d. XXIII. Septembr.

In Templo Mariano

Nobilissimi moestissimiq; Parentes  
adornabunt

Omnium ordinum Cives Academicos, eâ  
quâ par est, autoritate & humanitate  
invitat.

---

AUGUSTINUS:

Utinam excitare homines possemus & cum ipsis parièr excitari, ut tal-  
les effemus amatores vite permanentis, quales sunt homines  
amatores vite fugientis.

---

ROSTOCHI, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



D prænobilis Adolescen-  
tis WEDIG. CHRITOPHORI  
VOGELSANG Equitis Mekle-  
burgici, in vernante virtutis pari-  
tèr ac ætatis flore, pulcherrimiq;  
Corporis, & indolis igneæ vigo-  
re, ex ipso Nobilissimorum Pa-  
rentum, GENEROSI inpriniis

AVI conspectu, mortalibus erepti, tumulum, si, Thea-  
tro plangente, Virtute lacrymante, facundiâ lugente,  
nec, præter inanes nænias, & flebiles elegias, quicquam  
promittente, nostra quoq; præsens in lacrymas potius,  
quam voces exiret parentatio, deminutam facundiæ  
vim dolor ingens, & lamentabilis spectaculum funeris  
absolverit, potentissimumq; doloris argumentū fuerit,  
sine præparatâ voce dolere. Abiit, abiit, Nobilissimi, ma-  
xumèq; Strenui Viri, Exercitus olim Gallorū subBERN-  
HARDO WEIMARIENSI invicto Germanorū Achille  
Tribuni fortissimi GOTTHARDI VOGELSANG Hæ-  
reditarii in Erbshagen, & Hypothecarii in Carau, Patris,  
incomparabilis voluptas. Obiit Nobilissimæ Matris,  
MAGDALENÆ LUCIÆ VIEREGGEN dulce decus,  
& amor pretiosissimus. Præivit AVI Materni, Generosi  
Magnificiæq; Viri, Domini CASPARI VIEREGG, Do-  
mini hæreditarii in Moysal / & nascendi sorte Dominan-  
tus

tus Buzoviensis Marschalli eminentissimi, Reip. Rostoch. Consulis Amplissimi, Aviæ item Maternæ, splendidissimæ virtutum pariter ac imaginum decoribus Matronæ, LUCIÆ WELZIN, natali domo WEISIN, floridissimum delitium, pulcherimo domi spectaculo, per pueritiæ nobilis annos in generosæ domus firmamentum, pari spei curâ, nepos enutritus. Emigravit & ad meliora festinavit, per eujus venas tot Nobilium nominum sanguis profluxit, quæ immortalitati cœloq; suo reddita, nunc servat postuma fama. Ut enim nihil de Nobilissimis Parentibus, nihil de Generosis Avo, Aviaq; maternis (quia, sit gratia cœlo! superant etiam nunc, &, ut quam diutissimè superent, æ in ipsâ candissimâ canitie læti, mortalium rebus intersint, vovemus) nunc repetamus, ne quis recentioris & vel emendicatae nobilitatis, quam Torneamentorum leges excludant, lege Nobilissimum Juvenem, cui tumulum facimus, æstimaret, prohibet Avus Paternus WEDIGIUS VOGELSANG Hæreditarius in Erbshagen & Nipers/ Avia Paterna ANNA Kardorff de domo Nikorn & Granßau/ Proavus Paternus à parte Avi Paterni JOACHIMUS Vogelsang/ Proavia Paterna à parte Avi Paterni LSA de Bülau ex domo Potrense Proavus Paternus à parte Aviæ Paternæ MAURITIUS Kardorff/ Hæreditarius Dominus in Nikorn/ Granßau & Bülau/ Proavia Paterna à parte Aviæ Paternæ, CATHERINA Bülau/ ex domo Kargitz & Prussen/ Proavus Maternus à parte

Avi Materni RUBERTUS Vieregg / Hæreditarius in  
Veniz / & pari respectu Proavia RACHEL von Rahlen  
de domo Reiche / Proavus Maternus à parte Aviæ Mater-  
næ HENRICUS Welzin / Hæreditarius in Weissen &  
Grambau ac pari respectu Proavia MARGARETA  
von Warnested / de nobili in Marchiâ Brandenburgicâ  
domo Frestorff / Abavus Paternus I. à parte Avi Paterni  
JACOBUS Vogelsang / Hæreditarius in Erbhagen & Ni-  
pers / & parirespectu Abavia prima BARBARA von  
Ganiz de nobili in Pomeraniâ domo Lentzov / Abavus  
Paternus secundus à parte Avi Paterni BERNHARDUS  
von Bulou de domo Potrense / & pari schemate Abavia  
secunda MARGARETA Restorff de domo Radepohl.  
Abavus Paternus tertii à parte Aviæ Paternæ JOHAN-  
NES Rarckdorff / Abavia Paterna tertia pari gradus respe-  
ctu ANNA Lefszowen de domo Lübau & Wistorff. Abavus  
Maternus à parte Avi Materni, CHRISTOPHORUS  
Vieregg Hæreditarius in Veniz / & per X X X. annos  
Episcopatus Buzoviens. Marschallus, Abavia Materna à  
parte Avi Materni ELISABETHA Lüzhouen de domo  
Saxonicâ Schdorff / Abavus Maternus secundus à parte  
Avi Materni CASPARUS von Rahlen / Hæreditarius in  
Reiche / Abavia Materna secunda à parte Aviæ Maternæ  
secunda, à parte Aviæ Maternæ MAGDALENA Kra-  
mon de domo Borkau / Abavus Maternus tertius à parte  
Aviæ Maternæ JOACHIMUS Welzin / in Weissen &  
Grambau Hæreditarius, Abavia Materna tertia, à parte  
Aviæ

Aviæ Maternæ MAGDALENA Passauen de domo  
Bittig / Abavus Maternus quartus MELCHIOR von  
Warmskett / Hæreditarius D6 minus in Fristorff & pari nu-  
mero respectuq; Abavia IL SA von der Lühe de domo  
Bettelsau & Buschmühlen / Atavus Paternus I. à parte  
Avi Paterni , REIMAR U S Vogelsang / Dominus in  
Erbshagen & Nipers / Atavia Paternal à parte Avi Pa-  
terni DOROTHEA Ressorff de domo Müssin / Atavus  
Paternus 2. à parte Avi Paterni Dominus de Sanis Hæ-  
reditarius in Lenckow / Atavia Paterna 2. pari respectu  
DOMINA N. de Denzen / Atavus Paternus 1. à parte Aviæ  
Paternæ HERMANNUS Karkdorff / Hæreditarius in  
Niför & Granßau Atavia Paterna 1. à parte Aviæ Pater-  
næ LUCIA Bassevitz de domo Luburg / Atavus Maternus  
1. à parte Avi Materni ACHIM Vieregg / Hæreditarius  
in Benitz & Westendorff / Atavia Materna pari numero pa-  
riq; respectu CATHARINA Lefishow de domo Missorff/  
ultra quos per Tritavos, & fulgidissimos Majores adscen-  
dendo vetusta stemmatis paterni celebrantur Nomina  
BASSEVIZIORUM de Lüborg / BULOVIORUM de  
Kargitz/HANIORUM de Vefant / MOLZAHNIORUM  
de Grubenhagen / MARENHOLZIORUM AHLESLE-  
BIORUM, POTLIZIORUM, LEFZOVIORUM,  
prout in maternâ Genealogiâ Nobilissimæ fulgent ima-  
gines Majorum , KARBERGIORUM, PENZIORUM,  
MOLZAHNIORUM, BASSEVIZIORUM, LUBBER-  
STORFIORUM Marchiacorum, ARNHEMIORUM,

DIBERGIORUM, per quos Nobilissimus, quem nunc  
condimus, Adolescens fuit non minus ac apud Poetam  
*Turnus*, avis atavisq; potens. Quod si ex HENRICI Aucu-  
pis (à quo processit inter Germanos Avorum cumulatio)  
lege, quatuor Nobilium Avorum insignia sufficiebant in  
Hastiludiis militaturo, non exclusisset per paternam,  
maternamq; nobilitatem, adultiorem VOGELSAN-  
GIUM equestre illud Theatrum, cui ad nobilitatis nata-  
litia demonstranda non opus de more Senatoriorum,  
olim Virorum vel armaria lignea, veterum sc. imaginum  
vanorumq; habendi simulacrorum fallacia receptacula  
solicitare, cum tot vivacibus & fulgidissimis etiam nunc  
Nobilissimorum familiis immistum sanguinem facile  
esset in spectaculo & venis repræsentare. Evidē funer  
nobilium ceremoniis, splendidissima majorum No-  
mina, & fulgida Nobilitatis insignia inserere, vel ce-  
reis facibus, vestiq; stragulæ, quā feretrum conte-  
gitur, affigere, veltumulo ipsi, & saxis ac columnis  
sepulcralibus incidere, non recens institutum,  
est. Addebat instrumenta studii, quo defunctus  
quondam excelluerat. De Archimede Syracusano ex-  
celleate Astrologo testis Cicero V. Tusc. sepulcro ejus,  
quod ignorantibus Syracusanis, septum ac vestitum vepribus  
& dumetis invenerit, impositam fuisse Sphæram cum Cylin-  
dro: nec alio respectu, Miseno forti nautico tibiciniq;  
repræsentante Virg. 6. Aneid.

Pius

Pius Aeneas ingenti molè sepulcrum  
Imposuit, suaq; arma Viro, remunq; tubamq;  
Monte sub aereo.

Ex quo more Majorum, etiam nunc Doctorum in templis imaginibus, Voluminis s. Codicis additur simulacrum, tolerabilius illud profano, nec ferendo facile professis legem Christi Principis pacis, ritu, quo, ad ostentandam in ipso funere ferociam, veterisq; bellici furoris impenitentiam, terribilem cristis galeam, flamasq; vomentem, & illos carnifices gladios, quibus, non armante Deo, sciderunt & pupugerunt innocios, illa calcaria, per quæ, concitatis in hostem equis ut sc. facilior esset descensus Averni, perniciori contentionе ruerunt in nigra Tartara, in ipsis Templis ad sepultra velut triumphale signum suspendunt. Cœterum, prout Generosorum, per Magna Virtutum facinorumq; pulcherrimorum exempla celeberrimorum, memoriam per avita stemmata recollectam, in ipsis exequiis peculiari recordatione vel repræsentatione conservare, ne, quos Deus ipse sublimibus dotibus, admirans facinoribus in Theatro collocavit, illacrymabili longaq; ignoti nocte urgeantur., pietas admittit: Ita vel ad solam funeris pompam, cumulare Majorum sive nomina sive insignia, & vel in solis illis, virtutum sapè inopibus signis, fallacibusq; vetustatis argumentis sine propriæ Virtutis Ideis intumescere, infra pietatis veræq; nobilitatis gloriā est. Quin, ne quis in ostentandis quatuor insignibus

insignibus Avis scil. & duabus Aviis liberis (in seiten  
vier Ahnen) interrupta serie docendis, juxta regulam ju-  
ris Equestris: Es sol und mus ein Edelmann vierföldig  
sein / und beweisen / daß er von Väter und Mütterlichen  
adlichen Ahnen gebohren sch/ muliebritèr in solecat, ipsa  
voce Ahnen foro latinâ à voce Anus deducta, ad puden-  
da alegatur, & ad humilioris & vilioris originis revoca-  
tur recordationem. Nam vero, illud vulgo tritū: SOLA  
VIR TUS nobilitat, verò maximè consonū. Quæ enim  
gloria, longâ pompâ vanaq; ostentatione recensere fami-  
liae suæ nomina, multis imaginibus, stemmatuq; flexuris  
illigata, in quibus si quid veræ laudis est, id omne venit  
aliunde, pictoriq; debetur, cujus ingenium arguunt  
& peritam manum? Quæ gloria, extra conscientiam  
virtutis publicorumq; sive Togâ, sive sagô meritorum,  
ceratis ope Dædaleâ pennis sese efferre, & ad nauseam  
usq; intonare tritum illud, sed quo nihil verius, wir seind  
von Adel? Destituti sc. Virtute, nobilitate quoq; desti-  
tuuntur, & antiquitatem generis ac prosapiæ potius de-  
decoris aspergunt labe, quam decorant sanguinis ho-  
nore. Non est proprium bonum, sanguinis Nobilitas: sed  
alienum, tanto inanius nomen, quanto magis aliena  
claritudo est: quod si præsumtio Virtutis attollit Nobili-  
tatem, quanto splendidius sanguine spumoso Virtutis  
Nomen est, quæ sola nec dono datur nec accipitur, &  
extra quam dedecorant benè nata culpa. Quin vel illud  
certū vanitatis argumentū est, quod cum tanto nobili-  
tas cen-

tas censeatur illustrior, quanto prosapia est anti quior,  
communem cum vilissimis etiam mortalibus tandem re-  
petat originem, usq; adeo, ut dum omnia longa varietas  
miscauit, & sursum deorsum fortuna versavit, nemo Re-  
gnum non ex servis, nemo non servus oriundus ex regibus,  
atq; à primo mundi ortu usq; in hoc tempus perduxerit nos  
ex splendidis sordidisq; alternata series. Praeclarè Boetius

Omne hominum genus in terris, simili surgit ab arte

Unus enim rerum Pater est, unus cuncta ministrat

Mortaleis igitur cunctos edit nobile germen

Quid genus & proavos strepitis? se primordia vestræ

Autoremq; Deum spectes, nullus degener exstat

Ni vitiis pejora fovere proprium deferat ortum.

Quin, si quid in illâ nobilitate bonum, illud in primis est,  
ut, cum majorum gloria posteris lumen sit, nec bona,  
nec mala eorum permittens in occulto, imposita nobili-  
bus necessitudo quædam videatur, ne à majorum virtute  
degenerent, immo ut quibus præclara majorum fax  
prælucet, tanto clarius propriâ virtute collustrentur, ne  
incipiat

Ipsorum contra se stare parentum nobilitas

Graviter olim Salustius: Contemtor animus & superbia  
commune Nobilitatis malum. Et profectò, si doctrinam  
rectosq; cultus tollas, ita res habet. Animus imperator  
vitæ mortalium sibi relictus & expers disciplinæ, pravis  
cupidinibus captus, ad inertiam & voluptates corporis

B

pef

peſſum datus pernicioſā lubidine paulisper uſus; non  
jam caſus ſuos regit: ſed etiam ubi paululum potestatis  
adeptus, cœlum, quod dicitur, iſum capite tundereſibi  
videtur, ab ambitione faſtuq; ſuo regitur, literas omnes  
iſumq; virtutis ſtudium ejuſq; Profefſores odio profes-  
ſo profequuntur. Quod ne fiat, apprime bona opus eſt  
educatione, maximeq; cavendum in Republi benè con-  
ſtituta, ne Heroum & Magnatum Filii ſibi meti pſis per-  
mittantur, quaſi ex ſola majorum nobilitate tantum  
jam poſſideant, quantum alii multo ſudore improboq;  
labore neceſſe habent ſibi comparare, ſatiq; ſibi ſit vel  
levitè tantum & quaſi aliud agendo cum Muſis transi-  
gere, vel literas omnes penitus ignorare. Evidem-  
præter illos, ventri, ſomno, ambitioni deditos, incul-  
tos, quibus contra naturam corpus voluptati, anima  
oneri eſt, & quorum vitam mortemq; juxta æſtimamus,  
quoniam de utraq; ſiletur, aliquo negotio intentis &  
præclaris facinoris, aut artis bonæ famam appetentibus,  
non idem omnibus iter oſtendit Natura. Sunt, quos *bella*  
*juvant*. Et lituo tubæ permifſus ſonitus, non ſane culpandi,  
ſi non ita ſolis armis omnem equeſtris dignitatis apicem  
absolvi ſibi habeant perſuafum, ut ſtudia literarum  
velut Scholasticarum, minusq; digna Nobili. Viro du-  
cant, & barbaro faſtu projiciant. Ac in Italia ſuper hâc re  
reciproca eſt diſputationis ſerra, an ſagum togæ ſeu ar-  
ma literis, an verò literæ ac ſtudia armis belliq; exercitiis ſint.

ante-

anteferenda, placuitq; temperata pariter ac erudita de-  
cisiō, & armis ac literis debitum constare honorem, si quod li-  
ter a precipiant, exequantur arma. Generosiores illi, qui  
bus placet inclarescere pacē, sive pro Republicā benē dicen-  
do, sive Republicā benefaciendo, sive aliorum facta scriben-  
do, qui, cum alia, quæ Equestrem dignitatem decent or-  
nantq; , tūm humanitatis in primis studia, pietate tan-  
quam virtutum omnium reginā minime neglectā, patriis  
suis ceris imprimunt, & id sibi negotii dari credunt, ut  
aliquando vel in curiis Provincialibus Præsides agere,  
vel salubribus consiliis Principibus suā industriam præ-  
stare, vel ad exterōs populos a legati Magistratus digni-  
tatem suam circumferre, vel vicariam linguam Magna-  
tibus accommodare, vel alio quocunq; tandem modo  
Patriæ universæ magno & ornamento & firmamento  
esse queant. Scilicet, ut gemmei freni decorant Equū,  
juba bracteata Leonē generosū: ita, si ad obsoletos um-  
bones clypearum, ad ceras illas & figurās majorum acce-  
dat bona mens, & vel memoriā rerum gestarum crescat  
egregius Viris in pectore flamma, non prius sedanda,  
quām virtus eorum famam atq; gloriā adæquaverit,  
hæc jam palmaris est & triumphalis nobilitas, per quam  
in honoris ac perennantis famae templum generosis ali-  
tibus panditur aditus. Et ad hanc gloriā Virtutis viā gra-  
satus est Nobilissimus ac tot generosæ indolis ac virtutis  
specimib; pulcherrimus quondam Adolescens WE.

B 2

DIGIUS

DIGIUS CHRISTOPHORUS Vogelsang / dubiam re-  
tro Majoribus palmam facturus , si in hâc scenâ,  
mortali æviq; brevi non tempus magis, anteveniente no-  
bilitate in meritorum publicorum fato , quâm vis insita,  
quâm doctrina vel industria defuisse. Igitur , licet acer-  
bum funus sit, in quo tot Nobilissimorum Progenito-  
rum sanguis generosus & adolescentiæ flos pulcherri-  
mus effertur, magis tamen lamentabilem tumulum red-  
dit Virtus excellens & annos antevortens , illa in primis  
indoles decora , sine mali praviq; misturâ, studium sapi-  
entiarum, &c, quæ principium hujus est, vera Pietas, spes ma-  
ximorum in Republicâ meritorum , quam Epidemiacæ  
Iuis horrida tempestas intercepit. Demus illibatae vir-  
tutis funeri peculiarem mortalitatis traditionem. Na-  
tus noster seculo nobilis : sed ignobilis aterq; Cœlo d.  
IV. Maii. Anno clo lœc XLIX. Ne perseveraret ira Fi-  
lius , palatii coelestis portis exclusus, assumfit de rubente  
Lavacro Candidam Candidus & rubicundus Agni san-  
guine d. VII. Maij. Infantiam VOGELSANGII fovit  
domus natalis: pueritiam per X & ultra annos provexit  
incomparabilis Generosi Avi, Aviæq; Nobilissimæ flam-  
ma; sub Oculis propriis Inspectoribus , &c, Viro nunc  
Excellentissimo JOHANNE ROLINGIO Philos. M. ac  
in inclutâ Regiomontanâ Poeseos Professore ac Colle-  
gii Philos. Decano clarissimo , Eximio itē & Præstantis-  
simo Domino FRANCISCO PRÆTORIO SS. Theo-

log.

log. Cultore felicissimo, studiorum Moderatoribus,  
pueritiæq; Rectoribus accuratissimis ac laboriosissimis.  
Eminuit in pueri indeoles ignea, summis, si regiâ duce-  
retur viâ, ingenii comparanda. Ne ductores dees-  
sent, prospexit Avi, Aviæq; cura, tanto potentior illa,  
quanto plus ponderis addidit per exempla domestica.  
Profecit ergo floridissimus VOGELSANGIUS studiis  
literisq; quæ pueritiam decent. Profecit elegantio-  
ris conversationis artibus, blandus, & ingeniosissimus  
amorum gratiarumq; sive conciliator, sive conservator  
vel per elegantissimas insinuationes amplificator quoq;  
Profecit obedientiæ cœterarumq; virtutum, quarum  
caput est P I E T A S, laude. Pietatis argumentum in-  
signe, fervor ille nobilis & sacra contentio in verbo cœ-  
lesti sive audiendo sive legendo, in sanctissimis hymnis  
decantandis, in quibus omnem volucrum Musicarum  
melodiam superavit svavissima VOGELSANGII no-  
stri Musica. Nihil non in Adolescentiæ sanctum, gra-  
ve, prudens, & annos antecurrens. Responsa pro ætra-  
te egregia & vel interroganti levioris in primis armatu-  
ra militi dubiam aleam redditura. Tot bona tam par-  
vo clausit in orbe Deus. Nec novissima prænobilis Ado-  
lescentis infra gloriam fuerunt. Ad iugaciones ac si præ-  
sensisset imminentem sibi fatalem diem, exquisitis  
mortis meditationibus ac opponendis illi consola-  
tionibus, sanctissimis de Animæ immortalitate, de glo-

riosa Filiorum Dei resurrectione, de vita æterna collo-  
cutionibus, & hymnorū, qui funeribus vulgo præcinnun-  
tūr, decantationibus, aliquot, antequam affligeretur sa-  
va morborum vi corpusculum, hebdomadibus, pectus  
benè præparatum, & ad utramq; sortem compositum,  
publicus ostendit. Nec defecit impavidus & contem-  
tor mortis Animus, quando tentatum jam lectuloq; le-  
tali affixum succubuit magis magisq; corpus. Oppugna-  
runt hoc pustulæ, *vocē Ἀπόδημοι οὐ τολμεῖ ἀναγεῖ*, in quā  
peste causam divinam seu *πυρος θελατην*, Elementarem,  
quatenus *καὶ πύρινον νοσοῦμενοι καὶ λύματα*, Materialem externā  
& internā, ipsaq; primordia uterina jam dudum nota-  
runt Medicorum Principes, tanto detestabilior illa lues,  
quanto deformius grassatur in pulcherrimos. Opposita  
sævienti malo pretiosissima quæq; , Moderatore Excel-  
lentissimo Medico pharmaca: sed pervicit erumpentis in  
atras papulas, malignitatis indices certissimas, febris  
Tyrannis, & ubijā, ebullitione teste, excussa pectore,  
ipsaq; cordis arce propulsa in supraemma cute videbatur  
furorem novissimum signavisse, mox ad interiora re-  
lapsa, Spiritus vitalis arcem omni Tyranno validius op-  
pugnavit, & absumto per flamman potentiorem ca-  
lido, eductoq; vitali spiritu expugnavit, ac in lamenta-  
bile squalidumq; cadaver elegantissimum. Nobilis Ado-  
lescentis corpus rededit, inter quæ tormenta ne defice-  
ret generosus animus, precibus, & Sanctissimis hymnis  
obviam

obviam tot paroxyfinis ivit **VOGELSANGIUS** Adolescens, tandemq; placidissimi soporis simulacro, & emigrationis compendio sefellit Tyrannum, subducta Sanctissimâ animâ, umbrâ cineresq; cedens expugnanti. Conclamatum ita d. IX. Maij ab adstantibus, & nobilissimo funeri illacrymantibus charissimis, ipso etiam Generoso Domiuo A V O, cuius domestica calamitas, quam pretiosissimi Nepotis casus intulit, nos in communionem doloris pariter ac lacrymarum ad primam funeralis famam abripuit. Sed quid post mortem, iuvat indulgere doloris? Præivit, quo sequemur illo, quo quemq; Deus ordine vocabit. Festinavit ad meliora; quis invidebit? Tales Rosæ debentur Paradiſo cœlesti. Gaudent transplantari, ut felicius crescant. Clamat Apostolus: *longè optimum est emigrare & cum CHRISTO esse.* Clamat Phœnix in Arabiâ suâ Theologicas: EX CARNE MEA VIDEBO DEUM. EGO DEUM REDEMPTOREM VIDEBO MIHI OCULI MEI ILLUM VIDEBUNT, SED NON ALIENUS. Clamat in Evangelio Servator: EGO SUM RESURRECTIO ET VITA. QUI CREDIT IN ME ETIAMSÌ MORTUUS FUERIT VIVET: IMO OMNIS QUI VIVIT ET CREDIT IN ME, NON MORIETUR. Intronat in Apocalypsi Johannes: BEATI AIT APTI MORTUI QUI IN DOMINO MORIUNTUR. REQVIE CUNT A LABORIBUS SUIS.

Personat:

Personat Apostolus : Ubi tuus ô Mors est stimulus & Ubi  
tua, ô inferne, victoria : DEO autem sit gloria, qui dedit  
nobis victoriam per DOMINUM NOSTRUM JE-  
SUM CHRISTUM. Quod superest, ut in honorem  
& solamen Nobilissimorum Parentum generosi inpri-  
mis & Magnifici Avi frequentes fulgidissimi quondam  
& literati Juvenis exequias, ubi ad horam 2. funus esse-  
retur, eant, quorquot jurisdictionem Academicā agno-  
scunt, eâ quâ par est, autoritate & humanitate posco.  
Inter eundum meditemini illud Magistri l. ad M. Nihil  
interest, ubi sumus in seculo, qui extra seculum sumus. Con-  
tristetur, qui fructum seculi suspirat. CHRISTIA-  
NUS etiam extra carcerem seculo renunciat, &  
in carcere carceri.

P.P. Rostochii sub sigillo Rectoratus d. xxiiij.  
Septembris Anno cccccc LXII.



Funebris










ob viam tot paroxysmis ivit V O  
lescens, tandemq; placidissimi sop  
grationis compendio fefellit T  
Sanctissimā animā, umbrā cineres  
ti. Conclamatū ita d. IX. Maij ab  
lissimo funeri illacrymantibus ch  
Generoso Domiuo A V O, cuju  
tas, quam pretiosissimi Nepotis  
communionem doloris pariter a  
mam funeris famam abripuit. Se  
juvat indulgere doloris. Præivit, q  
quemq; Deus ordine vocabit. F  
quis invidebit? Tales Rosæ deb  
sti. Gaudent transplantari, ut fel  
Apostolus: *longè optimum est emig  
STO esse.* Clamat Phœnix in A  
EX CARNE MEA VIDEOBO D  
REDEMPTOREM VIDEOBO  
ILLUM VIDEBUNT, SED N  
mar in Evangelio Servator: EG  
CTIO ET VITA QUI CREDI  
MORTUUS FUERIT VI  
QUI VIVIT ET CREDIT IN  
TUR. Intonat in Apocalypsi Joha  
APT I MORTUI QUI IN D  
TUR. REQVIE CUNT A



GIUS Ado  
cro, & emi  
, subducta  
expugnan  
us, & nobis  
ipso etiam  
ica calam  
ilit, nos in  
rum ad pri  
st mortem  
iur, illo, quo  
ad meliora;  
adiso coele  
ant. Clamat  
n CHRI  
Theologica:  
GO DEUM  
EULI MEI  
ENUS. Cla  
RESURRE  
ETIAMSI  
O OMNIS  
N MORIE  
ATI APP  
MORIUN  
BUS suis  
Personat.